

III.

CIRCA DIMISSIONEM E CONGREGATIONE

Facti species.

Soror Maria, cum professionem perpetuam in Congregatione n. die 19 martii 1956 emisisset, fere 32 annos nata, et operibus deinde sui Instituti promovendis plures annos incubisset, inde ab anno 1971, propter exorta discidia et simultates diu pluriesque extra claustra degit, habita vel non superiorissarum licentia. Eo tempore de statu religioso derelinquendo sermocinabatur Soror Maria, quae mense martio 1973 copiam experiendae vitae saecularis impetravit et post sex menses propositum saeculi resumendi aperuit, dummodo superiorissae subsidium pecuniarium sufficiens praestarent, mutato tamen mox consilio redire ad religionem optavit, dummodo sibi in domo benevisa commorari liceret.

Superiorissae vero domum sive A. sive B., valetudinario instructam, proposuerunt, a Soror Maria eligendam; haec tamen utramque respuit et nonnisi in domo filiali se in posterum commoraturam affirmavit.

Expleta propterea ultima licentia commorandi extra claustra, Moderatrix Generalis praeceptum in virtute sacrae oboedientiae Sorori Mariae intimavit sese recipiendi ad domum A., sub poena dimissionis ab Instituto si forsitan oboedire detrectavisset, die 6 iulii 1974. Alterum praeceptum sese A. recipiendi sub poena dimissionis, sive scriptis sive coram testibus, diebus 14 et 15 iulii datum est; utroque tamen praecepto casso Consilium Generale Instituti, nemine dissentiente, decretum dimissionis die 2 augusti tulit, quod Sacra Congregatio die 6 augusti confirmavit.

Maria, cum pluries sequenti biennio cum Congregatione necnon cum ipsa Sacra Congregatione de vi et effectu dimissionis egisset, beneficium novae audientiae die 11 maii 1976 obtinuit, Sacra Congregatio tamen die 15 iunii decisa confirmavit et Maria die 13 iulii recursum ad hoc Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal interposuit.

Cum tentamina compositionis inter recurrentem et Congregationem in cassum cesserint, recursus tandem iudicandus obvenit sub consueta dubii formula: « *An constet de illegitimitate vel in procedendo vel in decernendo, relate ad actum S. Congre-*

gationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 15 iunii 1976 ».

IN IURE

Codex Iuris Canonici, dimissionem religiosorum perpetuo professorum in religione non exempta quod attinet, seu in canonicis 649-653, aliam procedendi rationem praescribit quatenus agatur de religiosis viris vel de mulieribus. Viri enim dimitti nequeunt nisi praecedentibus tribus delictis cum duplici monitione ac defectu emendationis ad normam canonum 656-662. Delicta in casu intelleguntur gravia et externa sive contra ius commune sive contra speciale religiosorum ius, et possunt esse eiusdem speciei vel, si diversae, talia ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, aut unum tantum permanens quod ex repetitis monitionibus virtualiter triplex fiat.

Duae debent esse monitiones, scilicet singulae pro singulis delictis, in delictis autem continuatis aut permanentibus intercedat necesse est inter primam et alteram monitionem saltem trium dierum integrum spatium (can. 660). Singulis monitionibus adici debet dimissionis comminatio (can. 661, par. 3). Religiosus censetur se non emendasse si post secundam monitionem novum delictum commiserit vel in eodem permanentiter perstiterit; post ultimam monitionem sex saltem dies expectandum est antequam ad ulteriora progressus fiat (can. 662).

Supremus Religionis Moderator, cum suo Consilio, perpensis deinde omnibus facti adiunctis, deliberet num locus sit dimissioni, et, si maior suffragiorum numerus pro dimissione steterit, ipse Supremus Moderator dimissionis decretum ferat, quod tamen ut suum sortiatur effectum debet a S. Sede confirmari (can. 650, par. 2). Religiosus vero, de quo agitur, ius habet sese defendendi, seu suas rationes libere exponendi, eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt (can. 650, par. 3), scilicet ut Supremus Moderator et ipsa Sacra Congregatio recte et iuste procedere valeant.

Illa de religiosis viris dimittendis praescripta sunt. Religiosas mulieres tamen quod attinet dimittendas, Codex non nisi « graves causas exteriores una cum incorrigibilitate » exigit, « experientia prius habita ita ut spes resipiscentiae evanuerit, iudicio

Antistitae » (can. 651, par. 3). Quae si constiterint, Suprema Religionis Moderatrix rem totam ad Sacram Congregationem defert cum omnibus actis et documentis, quae id quod magis expedire censuerit decernet (can. 652, par. 3), quin opus sit monitionibus specificis cum comminatione dimissionis, salvo tamen iure religiosae suas rationes libere exponendi.

Quia saepe difficile est probare vel definire « incorrigibilitatem » mos iam pridem pedetentim invaluit, praesertim in Constitutionibus religiosarum, eandem procedendi formam adhibendi in dimissione religiosarum quae a Codice ad dimittendos viros religiosos praescribitur, ut clarior probatio delicti et « incorrigibilitatis » haberetur, adeo ut Sacra Congregatio iam censeat incorrigibilitatem religiosae non esse sufficienter probatam nisi adhibitis monitionibus canonum 656-662. Hodiernis deinde moribus obsequens, ad honorem sexus muliebris tutandum, Sacra Congregatio sinit ut Moderatrix Suprema cum suo Consilio decretum dimissionis ferat, ab ipsa Sacra Congregatione confirmandum, prout in virorum religionibus accidit.

In facto

Lectis quae a Sorore Maria in Congregationem N. ingressa facta sunt, patet eam fere viginti quinque annos innocenter vixisse, honeste laborasse, normas sui Instituti servasse. Quodsi post tantum temporis spatium accusata fuerit apud superiorissas religiosas et propterea ad alias domos plures translata, nulla gravis delicti probatio ex actis et allatis apparet vel umquam exstitisse videtur, sed leves tantum suspiciones, non sine contrariis indiciis, inter superiorissas et religiosas spargebantur. Itaque nemo inhonesta patrata cum iuvene autoraedario asseruit, minus adhuc probavit, nec quisquam asseruit turpem fuisse « relationem » Sororis Mariae cum viro quodam, qui impensas religiosae commorantis apud Ferentum solvebat. Superiorissae tamen non verentur his indiciis niti ut in Sororem Mariam animadvertant, unde tandem causam dimissionis a religione eruunt.

Graves causae exteriores cum incorrigibilitate non apparent cum Soror Maria dicitur difficilioris fuisse indolis, quae « ha dato del filo da torcere a tutte le superiore delle case religiose in cui ha peregrinato ». Primis enim viginti quinque annis non

probatur asperitas indolis, quae ceterum est vitium naturae quod ingressum eius in religionem non impedivit, nec sufficit ad sodalem perpetuo professam dimittendam.

Etiam post annum 1971, quamquam Soror Maria per plures domos peregrinabatur, immo extra claustra versabatur, frustra quaeritur violatio oboedientiae, nam iussu superiorum vel de earum licentia, praevio medicorum consilio, locum mutabat.

Diuturna absentia seu commoratio extra claustra voluntatem derelinquendi religionem minime manifestat, nec causam dimissionis sufficientem suppeditat, cum Superiorissae nonnisi copiam salutis recuperandae secundum medici consilium vel conditionis animae perpendendae concedunt. Soror Maria autem voluntatem perpetuam manifestabat redeundi, nec de discessu sermonem instituit nisi cognito Superiorissarum consilio eam collocandi in domo A. vel B. Superiorissae deinde, parum vel nihil fecisse videntur ut reditus Sororis Mariae in sinum Instituti facilius redderetur, sed potius discessum, proposito saecularizationis indulto, promovebant. Nolente enim Sorore Maria petere dispensationem professionis religiosae, Superiorissae nihilominus effecerunt ut religionem desereret, domui maximae A. eam destinando, quae se nonnisi in domo parva seu filiali commoraturam esse affirmaverat.

Etsi diuturnae absentiae aliaeque quaedam normarum violationes, nimis severa interpretatione adhibita, in gravem Sororis Mariae culpam imputentur, mirandum magnopere est cur delicta delinquenti non fuerint exprobrata cum facultate sese defendendi. Verum decretum dimissionis motiva huiusmodi, quae imputabilitatem gravem et externam, necnon incorrigibilitatem manifestant, non continent.

His omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensis, Collegium infrascriptorum Cardinalium Iudicum Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, pro Tribunali sedens, et solum Deum prae oculis habens, Christi nomine invocato, edicit et declarat:

« Constat de illegitimitate sive in procedendo sive in decernendo relate ad actum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 15 iunii 1976 ».

Notificetur.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 15 novembris 1978.